



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. VI. Vtrum convenienter assignentur tria Baptismata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

trunt in Ecclesia, quia ut ait Rupertus libro. 4. de divinis officiis capite 18. Postquam Christianitas crevit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differri, propter occasiones mortis, quae in multitudine hominum multa sunt; maxime propter turbam infantium, quorum tenera vita per sepe levi occasione succiditur, visum est Sanctae Ecclesiae, passim indulgentiam baptizandi concessa, cuncta anteverire pericula. Ob antiquitatis tamen reverentiam & memoriam, adhuc Romae aliqua hujus consuetudinis vestigia servari solent: nam licet aliis etiam temporibus anni, baptismata celebrari consueverint, tamen illis duabus festivitatis (Paschae scilicet & Pentecostes) speciali, ut par est, solemnitate fiunt.

Quantum ad locum, jure divino nullus pro baptismo locus determinatus est, unde olim in fluvio, fontibus, & privatis domibus ministrabatur, ut ex Actis Apostolorum constat; usu tamen & lege Ecclesiastica, statuta sunt certa loca, extra quae non est licitum baptismum solemniter ministrare, ideoque Baptisteria appellantur, in quibus asservari solet vas lapideum consecratum, quod fons Baptismi dici solet, & a Dionysio capite 2. de Eccles. Hierarchia, Mater adoptionis vocatur, de Cathecumeno enim ait: Ad matrem adoptionis venit: quia nimirum in fonte illo, veluti in matrice, & vulva quadam spiritali, Cathecumenus regeneratur, & in filium Dei adoptatur.

Unctiones vero quae in solempni administratione Baptismi fieri solent, exponit S. Thomas art. 10. citato in solut. ad 2. ubi ait duplicem in baptismo fieri unctionem, unam ante baptismum, quae fit in simplici oleo benedicto, in pectore, & inter scapulas, in signum pugnae spiritualis contra inimicum, sicut athleta inunguntur: alteram in Chrismate, quae fit in vertice capitis, quam S. Sylvester instituit, ut notat Hugo lib. 2. de sacram. parte 7. cap. 3. & de qua loquitur Ambrosius libro 3. de sacram. cap. 1. dicens: Unguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite ejus, ut scilicet sit paratus omni perenti de fide reddere rationem. Velut ait S. Thomas in 4. dist. 6. quaest. 2. art. 1. quaest. 3. ad 4. Sicut per ablutionem aquae significatur emundatio à peccatis, ita per Chrismatis unctionem in vertice, significatur gratia collata in mente ad bene operandum, ut odor boni exempli ad alios diffundatur. De his multa P. Nicolai loco citato, ubi notat differentiam inter hanc unctionem, & illam, quae fit in Confirmatione: licet enim utraque fiat in Chrismate, & in capite, unctio tamen baptismalis fit in summitate capitis, quasi ad offendendam sanctificationem interioriorem; unctio vero Confirmationis fit in fronte, ad ostendendam perfectionem exterioriorem sanctitatis absque ullo pudore, cujus index & nota est frons, ut docet Rabanus l. 1. de instit. Clericorum c. 29. & 30. cujus verba ibidem adducit.

De veste candida differit D. Thomas hic art. 10. ad 3. dicens quod vestis illa candida traditur baptizato, in signum gloriose resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitae, quam debet post baptismum observare, secundum illud ad Roman. 6. In novitate vitae ambulemus.

His addi solet candelam seu cereus accensus in manu baptizati, ut aliis per bona opera prae luceat debere ostendatur. Unde Yvo serm. de sacra-

mentis: Ad ultimum datur cereus accensus in manu baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii, Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in caelis est: quod si perseveranter fecerit, non cum fatuis virginibus, extincta lampade, à janua Sponsi repellitur, sed cum prudentibus glorificandus colligitur. Quin & Rabanus lib. 2. de instit. Clericorum cap. 39. ob mysterium idem addit, baptizatos per septem dies (id est per hebdomadam Paschae) non solum in Angelico castitatis habitu (id est candida veste) sed etiam in luminibus caelestis claritatis (id est cum cereis accensis) assistere sacrificio Missae solere.

Vel etiam dici potest cum S. Thoma in 4. sent. ubi supra, in solut. 5. argumenti: quod sicut per symbolum vestis candida, significatur novitas vitae, & puritas, per Chrisma vero significatur odor bonae famae: sic etiam per candelam accensam significatur veritas doctrinae quam in baptismo profitemur. Plura de his & aliis Baptismi caeremoniis videri possunt apud Durandum l. 1. de ritibus Ecclesiae c. 19. & Bellarminum libro de Baptismo cap. 25. & sequentibus.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter assignentur tria Baptismata?

Damasceus lib. 4. fidei cap. 10. novem genera Baptismatum distinguit, quae recenset Raynerius in Pantheologia, titulo de Baptismo cap. 9. & ibidem Pater Nicolai. Verum quia inter illa, plura solum figuralia sunt, ut diluvium, transitus maris rubri, & diversae ablutiones veteris legis, merito hanc divisionem Damasceni omittunt Theologi, ut aliam explant, quam tradunt Magister in 4. dist. 4. & D. Thomas ibidem quaest. 3. art. 3. quodlib. 6. art. 4. & hic art. 11. quae breviter exponenda est.

Dico igitur, convenienter assignari tria Baptismata, scilicet fluminis, sive aquae, sanguinis, & flaminis.

Explicatur & probatur conclusio. Illud merito potest appellari baptismus, quod supplet principalem effectum baptismi simpliciter dicti, qui est baptismus fluminis: Sed martyrium quo homo conformatur passioni & morti Christi, & interior poenitentia, possunt supplere effectum principalem Baptismi, si ipsum antecedant, aut si haberi non possit: Ergo merito sortiuntur appellationem baptismi. Major patet, Minor probatur. Effectus principalis baptismi aquae est gratia & remissio peccati: Sed baptismus flaminis, qui est vera cordis contritio, includens votum baptismi, potest causare gratiam, & remittere omnem culpam, sive originalem, sive actuale: similiter martyrium pro Christo toleratum, habet vim remittendi omne peccatum, etiam quoad culpam, ut dicemus articulo sequenti: Ergo baptismus fluminis, & sanguinis, possunt supplere effectum principalem baptismi, licet minus principalem, nimirum characterem, causare non valeant, ut docet D. Thomas loco infra referendo. De baptismo flaminis fit mentio Actorum primo: Baptizabimini Spiritu Sancto, Et de baptismo sanguinis dicitur Marci 10. Potestis baptismum, quo ego baptizor, baptizari? Et Luca 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor usque dum perficiatur.

Posso

127. Porro inter illa Baptismata, plura reperiuntur discrimina. In primis enim Baptismus fluminis est sacramentum, non verò Baptismus sanguinis, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. & nos infra ostendimus. Ex quo sequitur aliud discrimen, nam Baptismus sanguinis non imprimit characterem, sicut Baptismus fluminis, ut idem S. Doctor observat in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 1. quæstionc. 3. ubi sic ait: *Baptismus sanguinis passioni Christi conformatur realiter, non sacramentali representatione, & ideo in his, quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio characteris, & huiusmodi.* Deinde Baptismus fluminis est in præcepto, cum sit medium necessarium ad salutem; Baptismus autem sanguinis non est in præcepto, nisi tantum in casu necessitatis, ad defendendam fidem. Item Baptismus aquæ simpliciter & absolute Baptismus dicitur, alia verò secundum quid tantum & analogicè, ac dependenter ab illo; quare ut verum sit martyrium, gratiam causans in subiecto non baptizato, veraque poenitentia interior, necesse est ut includant vorum Baptismi fluminis, vel formaliter, vel virtualiter, vel explicitè, vel implicitè. Unde Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 21. *Tunc impletur invincibiliter confessio fidei, cum mysterium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et cap. 25. *Conversio cordis potest quidem inesse, non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest; nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Ex quo intelliges, hoc nomen Baptismus dici analogicè, analogiâ attributionis, de Baptismo fluminis, fluminis, & sanguinis, ita ut præcipuum analogatum sit Baptismus fluminis, alia verò minùs præcipua sint.

128. Obijces primò contra istam conclusionem, Apostolus ad Ephes. 4. ait: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Ergo non debent admitti tria Baptismata.

Respondeo cum D. Thomas hic art. 11. ad 2. negando Consequentiam: *Nam alia duo Baptismata includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet, & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto, & ideo per hoc non tollitur unitas Baptismatis.*

129. Obijces secundò: In aliis sacramentis non assignantur aliqua quæ suppleant vicem illorum: Ergo nec in Baptismo assignari debent.

Sed negatur Consequentia & paritas: cum enim alia sacramenta non sint tantæ necessitatis sicut Baptismus, non oportuit quod essent aliqua quæ supplerent illorum vicem, sicut martyrium, & interior poenitentia, vices Baptismi supplere valent.

130. Præter hæc tria Baptismata, aliud est quod Baptismi nomen aliquo modo sibi vendicat, & secundum Baptisma appellatur, nempe professio religiosa, ut eleganter expendit D. Bernardus Tractatu de præcepto & dispensat. capite 23. his verbis. *Andire vultis à me, unde inter cetera poenitentia instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vite spiritualis, quâ præminens, universis vite humane generibus huiusmodi conversatio, professores & amatores suos, Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar Baptismi;*

A & quasi denique secundò baptizamus, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, conplacemus de novo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in Baptismo eruiamur de potestate tenebrarum, & sanguinem transferimus claritatis eternæ, ita & in facibus huius secunda quadam regeneratione propius, de tenebris aque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum evadimus. In huius rei confirmationem in vitis Patrum lib. 6. c. 1. dicitur, quod quidam Patrum videlicet gratiam descendentem super eum qui baptizatus religionis assumit, ac super eum qui baptizatus unde Hieronymus Epistola 25. ad Paulam de obitu Bleisillæ, professionem religionis, secundum quoddam Baptismi propositum, appellat.

ARTICULUS VII.

An Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat vicem Baptismi aquæ, ut iustificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos?

C Onstat ex dictis in Tractatu de Sacramento in communi, Baptismus fluminis, cum sit verum sacramentum novæ legis, iustificare & causare gratiam ex opere operato. Ceterum etiam, Baptismus fluminis iustificare tantum ex opere operantis, cum actus contritionis vel charitatis in quo consistit, non sit nisi ab homine prebito. Quare tantum difficultas superest de Baptismo sanguinis, sive martyrio, an ex opere operato, vel solum ex opere operantis, iustificet & conferat effectum Baptismi. In cujus resolutione quidam asserunt, martyrium conferre prædictum effectum solum ex opere operantis, ratione charitatis, aut contritionis, quem si non intendit, nihil omnino prodest, etiam parvulis uli rationis carentibus. Ita Armæcanus libro 2. de questionibus Armenorum, & Adrianus in 4. quæst. ultimâ de Baptismo. Alii autem volunt, martyrium iustificare parvulos ex opere operato à peccato originali, adultos verò non nisi ex opere operantis, ratione charitatis & contritionis. Ita Cano in relect. de poenit. parte 3. Soto in 4. dist. 4. quæst. unicâ art. 11. Bannez 2. 2. quæst. 24. art. 6. Vazquez, Sylvius, Aravius, Alii deum existimant, Baptismus sanguinis, sive martyrium, ita supplere vicem Baptismi aquæ, ut iustificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos. Hæc est communior sententia inter Thomistas, eamque ex extraneis amplectuntur Suarez, Bellarminus, Valentia, Granado, Henriquez, & alij.

§. I.

Hæc sententia, ut probabilior eligitur, & duplici conclusione stabilitur.

D ico primò, Martyrium, sive mortem pro Christo toleratam, iustificare parvulos ex opere operato. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 1. ad 1. & quodlibet 6. art. 6. & in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstionc. 3. ubi sic habet: *Sicut in Baptismo aqua liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pena, ita in Baptismo sanguinis. Et in resp. ad 1. Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operationis, sed hæc habet ex imitatione*